

De allegoria apud Aeneidos supplementorum auctores
qui aetate artium renascentium scripsere

Grammatici iam inde a saeculo quinto p.Chr.n. Vergilii libros tamquam vera quodam tegumento occulta continentes legere atque intellegere coeperunt. Fulgentius (fl. VI saec.) enim hunc ἀλληγορικὸν modum librorum *Aeneidos* legendorum, secundum quem Vergilium res singulares et subtiliores ac fere divinas sub narratione fabulosa docuisse praesumptum habetur, sua *Expositione continentiae Virgiliana* ita auxit atque ornavit ut apud grammaticos medii quod dicitur aevi multum prae aliis interpretandi modis increbuerit. At ἀλληγορία est figura rhetoricae sive tropus dicendi quo aliud verbis aliud sensu ostenditur (cf. Cic. *Orat.* 27.94 et Quintil. 8.6.14)

Quamvis ἀλληγορικὰ librorum *Aeneidos* interpretatio ut imago et vitae hominis et victoriae sapientiae et virtutis super stultitiam et animi passiones, primum a Fulgentio proposita esset, a posteriores, Bernardo Silvestri (fl. XII saec.) eiusque aequali Iohanne de Salisbury tanto studio fota excoltaque est ut eorum doctrina non modo Dantes Aligherius sed etiam Leo Baptista Albertus (1404-1472) et Christoforus Landinus (1424- 1498) moverentur. Cum huius doctrinae vim apud quosdam aetatis artium renascentium auctores (n.g., Edmundum Spenser, Ludovicum Ariostum, Torquatam Tassum) homines docti saepius presso vestigio persecuti sunt, tum neglexerunt tamen quantum adesset apud Vergilii imitatores vel *supplementi Aeneidos* scriptores.

Aetate artium renascentium alii aliter de ἀλληγορικὰ interpretatione senserunt quodquidem Landinus suo opere c.t. *Disputationes Camaldulenses* (1475) edocuit. Vix tamen quicquam huius doctrinae modique legendi ad *Aeneidos Librum XIII* aut Maphaei Vegii (1407–1458) aut Petri Candidi Decembrii (1399-1477) huc usque comparatum vel in medium collatum est. Hi posteriores *Aeneidos* supplementorum scriptores, cum Vergilii linguam, numeros, materiamque imitarentur, ἀλληγορίαν adhibebant, ut res subtiliores sive philosophicas sive

divinas exprimerent. Hac denique acroasi quomodo ἀλληγορία ab his adhibita sit ac quid ex hoc ἀλληγορίας usu colligere oporteat.